Myopathiæ periodicæ casus,

qvem,

Venia Fac. Med. Lundensis,

Præside

JAC. SÖNNERBERG,

Med. Pract. Prof. Reg. et Ord.

Pro Gradu Medico

p. p.

JAC. WILH. BRÅVIK.

Med. Licent., ad Legion. Bauhus. Medicus Secundus.

In Academia Lundensi die VIII Maji MDCCCXXXIII.

H. a. et p. m. s.

LONDINI GOTHORUM,
TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXXXIII.

Myopathiæ periodicæ casus.

Periodicam morborum indolem eam habere latitudinem constat, ut vix ulla processus vitalis aberratio sine periodis sit; ipse enim normalis vitæ decursus in alterna virium oppositarum contentione, in serie dynamicarum oscillationum versatur. Status sanus et morbosus iisdem vitæ legibus obtemperat, ejusdem processus modificatione diversi. Omnis vita individualis, omnia ejus molimina, actiones et functiones, sub secunda et adversa valetudine, ex eo pendet, quod vis vitalis nisi ad certum gradum intendi potest, ultra quem ex se ipsa paulatim decrescit et in quietem nititur, quo facto, restauratis suis principiis, cum novo vigore resurgit; quod omnium quæ vivis accidunt mutationum periodicarum fundamentum constituit*).

*) Cfr. Hartmann, Theorie der Krankheit.

Sensu autem strictiori eos morbos periodicos dicunt, qui per intervalla adgrediuntur, quo facto, manente morbo interno, relativa et externa sanitas ægroto conceditur, donec nova imponderabilium copia accumulata fuerit, quæ iterum stato tempore explosionem producat; quod si morbus fixum observet accessionum ordinem, ad horam haud raro prædici potest insultus. Ejusmodi morbi periodici cyclo continentur, quem singulo fluxu et refluxu absolvunt. A læsa vegetatione et reproductione orti, molimina naturæ constituunt, quibus morbo producta tollere et normalem conductionem restituere conatur, totiesque insurgit natura, quoties causæ ad reagendum cogant et vis vitalis reactioni sufficiat.

Iis vero morbis frequentior et manifestior periodica indoles inest, quorum præcipuus impetus in systema nervosum convertatur. Itaque præter febres intermittentes, periodicos insultus celebrare solent morbi nervosi, a stasibus abdominalibus orti, sangvinis fluxus, arthritis, mentis perturbationes, chorea, epilepsia, cephalalgia,

hysteria, cet. Sunt et alii morbi, quos, quoniam insolita forma proveniunt et ætiologicas rationes abscondunt, larvatos dixerunt, periodica indole conspicui, quorum exemplis medicorum libri pleni sunt. Sic virum sexagenarium commemorant, cui dimidio quoque anno oculi ex orbitis protrudebantur, ut genis, sine ullo visus damno, incumbere viderentur, quo facto in orbitas sese iterum sensimque receperunt *). Ad morbos periodicos provocandos magnam vim ipsam animam habere constat. Qui epilepsiam simulant, epileptici tanden fiunt; hypochondriacis qui febris accessum anxii præsenserunt in horam supervenisse notum.

Singulare et quantum nobis cognitum sit, rarissimum affectionis musculosæ, periodicæ naturæ, exemplum, ab ægroto ex schedula communicatum, nobis præsto est: Vir militaris prope triginta annos natus, bello Norvegico 1814 contusionem patitur utriusque femoris a globo, quem machina pyria evomuit, qua mox leviter, sed post aliquot horas gravius adficitur, ut hu-

*) Reil Patholog.

mi jacere cogeretur, donec elapso 6—7 horarum spatio, frigore multoque pluvio fatigatus et sui vix conscius, lectica militari ad nosocomium portaretur, ubi post septimanam ita restituitur, ut par officii sui judicaretur; equitandi vero difficultate premebatur, et insignes molestias a motu et crurum distentione experitur; sed inunctionibus spirituosis adhibitis et femoribus fasciis involutis, sensim sensimque dolor omnis disparuit. Anno insequente post validam equitationem, alterum femur doluit et intumuit, sed otio et fomentationibus tumor et dolor depellitur. 1816—17 dolores femoris dextri hinc inde sollicitabant, inprimis post equitationem et validiorem motum. 1818 tumere per vices femoris extensores supra patellam incipiebant, atque cyclum plerumque novem dierum explere, tamen absque multo dolore. 1819 instituto ad exteros itinere, femur dextrum media æstate vehementi per triduum tumore et dolore corripitur, ut moveri non pateretur; sed superfusa aqua frigida, fasciisque & emplastris adhibitis, dolor & tumor sublatus est, manente tamen rigiditate cum motus difficultate. Itinere mox contiunato recruduit malum ut per

tres septimanas in Nosocomio quodam Parisiensi morari cogeretur ægrotus. Auxilio fuerunt cucurbitæ cruentæ, vesicatoria, fonticuli, fasciæ, inunctiones & emplastra discutientia. — 1820 in patriam reduci ut balneis marinis uteretur svadebant, quo proficiscens subvertebatur currus et femur correptum torquebatur, ut omnia in pejus ruerent & femoris amputationem medicus moliretur. Non placuit consilium. Domum revertitur ægrotus, solitis suis remediis, quiete inprimis & fonticulis quodammodo restitutus. Tribus insequentibus annis, sub perpetua medicatione transactis, parum aut nihil levaminis habuit. 1824 tumor & dolor sese remisit; vexabatur quidem, sed ut negotia sua domestica obiret per triennium patiebatur malum. Ab equitatione & motu fortiori se abstinere ægroto necessum fuit. Qui sequebantur anni insultus periodicos per breviora aut longiora intervalla habuerunt. In aquarum salutarium & balneorum usu pergebatur. Ab anno 1830 regulariter nono quoque die insultus recurrunt; interdum autem per unam alteramque mensem libera spatia habuit. A mense vero Maji 1832

ad hunc usque diem insultus regularem et fixum typum observarunt. Nono quoque die extensores femoris dextri, inprimis rectus, ad manus latitudinem supra patellam per triduum intumuerunt & doluerunt, per triduum tumor sensim sensimque disparuit sub torporis & formicationis sensu; cum movere femur conatur, crure ligneo incedere sibi videtur ægrotus. Sex diebus, fluxu & refluxu transactis, reliquum periodi trium dierum spatium ab incommodis liberum fuit. Ad hanc periodicam valetudinem otia sua & negotia instituere illi necessum. Licet per tot annos multumque vexatus, sanitas vires & alacritas toto corpori constant.

Pathologiam systematis musculosi minus excultam esse jure querunt, licet anatomia pathologica factorum copiam ad illam illustrandam suppeditaverit. Cum musculi præ reliquis corporis partibus intimum suum cum nervis commercium manifestare valeant, eorum respectus in primis habitus est in sic dictis affectionibus nervosis, atque cerebri & medullæ spinalis morbis; diagnosis vero in morbis musculorum idio-

pathicis admodum obscura. A dupplici fonte, sanguine & nervis, plerumque exire videntur, atque in alienata harmonia mutui commercii inter sangvinem & nervorum pulpam versari. Sed eadem caussa sub iisdem signis utramque anomaliam provocare potest, haud facile dignoscendam. — Contusio a globo, quem machina pyria evomuit, nervorum commotionem æque ac vasorum efficiat necesse est; sed cum nervi imponderabilium conductores sint, omnis vitalitatis anomalia a nervorum intemperie repetenda. Neque caussa hujus anomaliæ proxima semper in illis musculorum nervis, qui retis instar vasa ambiunt, quærenda, maxima enim pars periodicorum morborum a systemate ganglioso venire solet.

Mali allati indoles in periodica humorum congestione et rheumatica fluctuatione consistere nobis videtur. Neque enim sine exemplo est, turgores sangvinis et spasmodicas constrictiones post intentiorem frigoris impetum, in musculis simul comparuisse, atque in tetanum rheumaticum abiisse.

Aliud myopathiæ rheumaticæ exemplum a Boerhaavio relatum invenimus: Vir juvenis, litteris deditus et phlegmaticæ constitutionis, post validam pedum refrigerationem horum musculorum dolores & spasmos experitur, qui sensim superiora versus ad crura & femora adscendebant & per biennium periodice recurrebant, unoquoque insultu ad binas vel tres horas producto. His postea accedebant spasmi musculorum dorsi, dextrum latus occupantes, ad caput adscendentes & veris insultibus epilepticis præludentes. Hieme gravius, quam æstate urgebant. Percepit ægrotus anteplures horas venturum insultum, ex livido dorsi metatarsi colore & sensu alienato, absque frigoris & auræ epilepticæ sensu. Crure ligato, impetus siluerunt *).

*) Portal Beobacht. über die Epilepsie.